

Quod sanè opus vt infiniti propè fuit laboris: sic plurimi fructus id quoque fore speramus. Huius nanque theatri spectatores non solum oculos delectabunt, nec pictura pascent inani: verumetiam animos suos dignissima rerum, & personarum cognitione exsatiabunt. Et qui iam pridem in viuis esse desierunt: eos ab inferis in lucem reuocatos veluti per speculum coràm intuebuntur: loquentes intelligent: facientes contemplabuntur, retroacta tempora ab omni hominū memoria ad suum seculum reuocabunt. Denique exempla vitæ cuiuslibet vnde cumq; sument: & hæc lecta narrando illud obtinebunt: vt antequam fuerint ipsi, cum ijs qui amplius non sunt, olim fuisse videantur.

Cæterum ne quis lege Cornelianos falsi arguat, quòd commentitias, seu factitias quasdam figuras velut adulterina numismata in publicum sparserimus: concedatur confessioni venia. εἰς τὸ γὰρ ἀδύνατον οὐκ ἔστι ἀναστῶτα. Priscorum enim hominum qui ante diluuium, & ante inuentas pingendi, & scalpenti artes vixisse memorantur. Vt Adæ, Abrahæ, & Patriarcharum ἐκωνάς non negamus à nobis fuisse per imaginationem effictas: & cum nullum haberemus Prototypum ex descripta eorū Natura, moribus, ætate, regione, & rebus gestis φανταστικῶς fuisse conformatas. Quàm minus enim nobis id liceat: quàm Phidiæ statuario nobilissimo: qui ex pauculis Homeri versibus formam τῆς Ἀλκυονίδος diuinavit: & Olympium fabricauit? Quàm Zeusidi qui ex selectis quinque Agrigentinarum virginum formis pulcherrimam Deam cogitatione apprehēdit, ac representauit? Quàm minus quàm Asinio Pollioni, qui Autorum suæ bibliothecæ imagines ex eorum scriptis confingere primus Romanorum est ausus? Denique, quàm minus quàm illi, qui Homeri superioris arte inuenta, faciem ex ipsius Poemate & ingenio cōiectatus est? Quare hoc nobis minus vitio datum iri cōfidimus. Nā vt in hęc sententiā scripsit Plin. Quæ nō sunt finguntur: pariuntque desyderia non traditi vultus. Et maius nullū est felicitatis specimē, quàm semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Hæc ille. Nos igitur talia imitati exēpla, sine exemplo rationē tantum hystoriæ secuti, & phanta-